

**xl.** Qui sunt Hebraice periti, interpretantur uocem Siloh de membranula, quæ continet fætum in utero, & accommodant ad partum uirginis, de quo Esaias uaticinatus est: Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomē eius Emanuel. In quam sententiam Daniel uocat eum lapidem excisum de monte, sine manibus.

**xli.** Sed desino refutare hoc ridiculum commentum, quod propterea tantū recitauī, ut præmunirem lectorem, quid expectandum esset ab hoc blasphemio, in scripturæ Propheticæ & Apostolicæ expositione.

**xlij.** Simili commento eludere conatur locum in psal. 2 Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hunc enim exponit de Dauide, & cum Rabino David Kimmi sic insultat Orthodoxis interpretibus, qui de æterna filij generatione exposuerunt: Si in illis æternitatibus duæ distinctæ res incorporeæ, similes & æquales pariter erant, gemelli duo erant non pater & filius. Ac perinde, si tertia ibi similis, & duabus æqualis addatur, tergeminos dices Geryones.

**xliij,** Sed ut ad rem ueniamus: Fatur

tetur